GYMNASII SEDINENSIS

RECTORI ET COLLEGIO

S. P. D.

GYMNASII GRYPHISVALDENSIS

RECTOR ET COLLEGIUM.

Saeculum nostrum etiamsi festinare semper ac ruere quasi ad futura nonnulli haud iniuria queri videntur, idem tamen multa habet, quibus hominum mentes praeteriti temporis spatium respicere aut dura necessitate cogi se sentiant aut blanda quadam vi sese trahi facile patiantur. Quod praecipue valet in pia recordatione eorum quae maiores nostri ad animos hominum excolendos sapienter instituerunt. Sacrorum enim ante hos trecentos annos emendatione facta quum pro artissimo quod inter ecclesiam et scholas intercedit vinculo fieri non posset, quin harum quoque rationes multis modis mutarentur: plurimis gymnasiis quae quidem Evangelicorum sunt aut eo tempore conditis aut ita immutatis ut denuo condita videri possint, nunc maxime originum memoria est recolenda. Quo in numero quum nuper agmen quasi duxissent Portensis schola et Illustre Moldanum, iam *Vestrum* succedit Gymnasium, Pomeranorum Principum, Barnimi IX. et Philippi I. communi cura conditum, cuius *Vos* sacra saecularia eodem die iam estis celebraturi, qui dies et *Vobis* et qui superiore saeculo eadem sollemnia agebant, certissimus primae inaugurationis esse visus est. Qua de re quod certiores nos fecistis, per nobis gratum fuit promptissimoque ac libentissimo animo, etiamsi praesentes non omnes adesse possimus, nos omnes tamen laetitiae *Vestrae* participes esse profitemur. Coniungit enim *Vobiscum* nos non solum patria, sed etiam eiusdem provinciae fines; connectit aliquanto plus, ut Ausonii verbis utamur:

Et studium in libris et sedula cura docendi.

Quae quidem sortium communio communis officii admonere nos debet, quo num ita nos fungamur ut eventus optatis respondeat, nullo acrius quam nostro tempore disceptatur. Ac multa quidem quae ab imperitis obiici solent nostrae institutioni, aequo animo ferenda sunt reputantibus, temporum vitia nulla nisi ipsorum ope sanabilia plerumque ad alia quaevis quam ad suam originem referri, neque improbanda non est quorundam magistrorum vanitas, qui plus se in educandis pueris proficere iactant et praedicant quam postulari et praestari potest vel ut libere dicamus quod sentimus, etiam debet. Educationis enim quum is sit finis, igniculi ut virtutis divino numine hominum animis insiti suscitentur et alantur, pravi autem ut reprimantur et extinguantur, patet et ipsam hominis naturam prorsus immutari ea non posse, posse vero meliorem reddi et ad veram humanitatem perduci alia fovendo et eliciendo, alia amputando et evellendo, nec quicquam magis cavendum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse quam ut mali chirurgi est ulcera ne oblinantur et butyro quodam inducantur, quae quo minus expurgata sunt eo gravius erumpunt et putrescunt. Qua in re quantopere adversetur nimia parentum indulgentia, malorum exemplorum auctoritas, diuturnae pacis blandimenta, non est quod *Vos* doceamus. Illud vero non dubitamus quin nobiscum persuasum habeatis, duplex boni esse doctoris officium, primum ut teneris animis numquam non imprimat et quasi inculcet ea quae prima elementa et aeterna fundamenta divinae religionis omniumque litterarum sunt habenda, quae ubi quis probe perceperit, tum demum liberum ei esse poterit arbitrium sentiendi et iudicandi. Qua in re interdum peccari ab ipsis praeceptoribus inficias ire nolumus, dum aut res tractant quae fugiunt intelligentiae puerilis vim aut praecepta tradunt artificiosiore longiusque petita via ac ratione aut denique ipsa natura repugnante iudicium magis quam memoriam exercent, quod confirmari et corroborari ante non potest, quam animus litterarum quodam flumine inundaverit; quod si aliter fit, periculum est ne petulantes et inepti nugatores evadant, quales luculenter depingunt Aristophanes et Petronius, inanissimo verborum strepitu si minus fora saltem ephemeridas personantes. Alterum autem magistri munus, gravius fortasse illud si iuventutis nostrae ignaviam et socordiam spectamus, de qua totam per Germaniam queruntur qui instituendi artem profitentur, in eo versatur ut ad litterarum studia ingenia puerorum irritentur adluescentiumque pectora incendantur et inflammentur religionis, patriae, recti honestique amore, quocum coniunctum sit necesse est omnis pravitatis et illiberalitatis odium et fastidium. Quod quantum praestet praeceptor nec examinum minutissima diligentia indagari nec ipse ut praestet artificio ullo humano effici potest. verum insitam et innatam esse oportet vim quandam, qua sola summum quod homini licet efficere, efficitur quaque una ipse plurimum valet. Nec ab officio strenue exercendo inde deterreri nos patiamur, quod eventus conatis minus respondere videatur: nam saepenumero nec statim apparere et eminere solet, quae sequuntur bonam et salubrem institutionem, et qui nos reprehendunt parum reputare videntur, haud paucos adulescentes multo deteriores evasuros fuisse, nisi liberali quadam disciplina usi essent.

Atque his aliisque criminibus omnia tanguntur educandi instituta, quocunque nomine feruntur, nisi forte Iesuitarum instituendi rationem excipi volumus, qui quod divinum et caeleste in hominum mentibus inest, id humanis et terrestribus commodis inservire cogunt. Verum alia praeterea obiiciuntur iis scholis, quae gymnasia maiores nostri appellari voluere, propterea quod in iis potissimum antiquitatis cognitione iuventus esset exercenda. Ac duplex quidem videmus adversariorum genus exortum esse, quorum alteri negant, tantum quantum fieri soleat, tribuendum esse in scholis antiquitatis studio, iique ipsi causis ducuntur diversis, partim quia haec studia parum ad institutionem vitae communis spectare videntur, partim quod metuunt ne sensui Christiano officiant, quo iuventus sit imbuenda; alteri, benevoli illi, aegre ferunt et queruntur, maiores olim fuisse quam nunc progressus adulescentium his in litteris. Nolite autem exspectare, quod ab huius scriptionis instituto alienum videri debet, nos in his criminibus refellendis longius immorari eaque fusius atque uberius persequi velle, quae totiens decantata verendum est ne taedium et fastidium lectoribus afferant. Pauca

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

modo delibabimus, quamquam etiam haec trita et pervagata videri possunt. Etenim quod ad illos attinet, qui nos ad Francogallorum et Anglorum exemplar fingi et formari cupiunt, considerent velimus primum quam diversa sit ab his nostrae nationis indoles, quam dispares leges, instituta, mores, quam differat mercaturae, commercii, militiae ratio. Neque illud non est reputandum, omnem nostram eruditionem antiquitate niti: nam qui catholicae fidei addicti sunt populi, eorum caerimonia nexum habet multiplicem cum vetere Romana, ius quod per magnam Europae partem regnat, Romanum est, urbium instituta originem repetunt a municipiis, nulla denique gens invenitur paullo humanior, quin aliquo vinculo cum Roma coniuncta sit. Ipso autem litterarum antiquarum studio nos potissimum cum urbe aeterna consociari, liquido apparet, primum quod sacrorum emendationi et antecessit et subsequuta est artis grammaticae, quae hodie philologia appellatur, instauratio, deinde, quod quo quaeque Germanorum stirps sincerior et intactior ab omni admistione manebat, eo acrius et felicius in harum litterarum studium incumbebat. Quod studium ubi laetius floruisse et adhuc vigere censebimus quam apud integerrimas Saxonum et Francorum gentes? Idem vero frigescit et decrescit ceteris in Germaniae partibus, prout Slavi aut Romani cum Germanis coaluerunt.

Quod vero alii impietatis scholas insimulant sive vera sive simulata acerbitate, hoc quam late pateat nemo non videt. Memoria autem si vetera et nunc obsoleta repetimus, tantum abest nunc ut umbratiles doctores inveniantur, qui nihil nisi antiqua et pagana admirari et suspicere consueverint, ut iustiore antiquitatis aestimatione instituta prudentissimus quisque ita nobiscum existimet, nihil verius certiusque inveniri posse quam quod Apostolus divinus operi suo praefatur Christum advenisse quum tempus esset impletum. Atvero quis sanioris ingenii reperitur quin etiamnunc licere nobis censeat acquiescere in iis quae pulcherrime exposita sunt ab Erasmo in epistola ad I. Ulattenum praemissa Tusculanarum editioni? Quis tam durus est et inhumanus, quin Antigonae sublimitate sacro quodam horrore corripi se sentiat? Quis tam ferreus, quem non commoveat senis Tullii imago, inter gravissimas curas honestissimis de causis ortas ex honestissimis occupationibus solatium capientis nullaque certe tenui vitae futurae spe acriter id pernegantis temere nos ac fortuito satos et creatos esse? Quis tam caecus, quin in Simonidis Cei verbis, quibus Andromedam lamentantem Iovemque implorantem inducit, divini illius cum hominibus icti foederis signa si minus expressa certe adumbrata agnoscat? Quis denique tanta hodie est opinionum perversitate et stultitia, ut Tacitum vituperet, quod ille imminentem rerum interitum perspexit novumque earundem ordinem nascentem praesagivit, quem antiquitus ipsi libri Sibyllini vaticinati fuisse videntur? Atque haec quidem hactenus.

Qui autem negant litteras antiquas eodem cum fructu audientium nunc quo olim tradi in scholis, ii speciosius quam verius iudicare videntur. Nam ut concedamus quae supra ipsi de iuventutis desidia conquesti sumus, multiplici rerum tractandarum varietate, quae primoribus saltem labris gustari debent, fieri non potest, quin scholarum condicio magis magisque ab eo statu recedere coeperit, qui erat quum unice linguae latinae studium regnabat, cetera leviora habebantur. Accessit paullatim amplior Graecarum litterarum eruditio, nunc iterum in angustiores

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fines redacta, uberior rerum gestarum enarratio, subtilior geometriae cognitio, rerum naturalium doctrina aliqua, denique elegantiorum litterarum studium paene incognitum, antequam inclaresceret Wielandi suavitas, Herderi facundia, subtilis Schilleri elegantia, divinum Goethii ingenium. Quibus rebus detrimentum aliquod fecisse latinarum litterarum studium ut facile concedimus, ita idem tantum esse quantum nonnullis videri solet, negamus ac pernegamus. Patet in multo crebriore lingua latinae usu subitam in dicendo et scribendo celeritatem et facilitatem maiorem antea quam nunc fuisse; qui autem primarius institutionis finis esse debet, ut orationis latinae vis et ratio intelligatur et imitatione exprimatur, qua re efficitur ut sententiarum nostrarum ordo castigetur et abundantia quaedam sensuum nostris hominibus haud insueta coerceatur, hunc nescio an non magis olim quam nunc assequuti sint doctores, si modo, vitata Ciceronianorum stultitia, quam salse perstringit Muretus, mitem Gesneri sapientiam imitandam sibi proponunt. Verum ne in campum satis patentem exspatiemur, quamquam philosophi quicquam exemplis probari posse negant, tamen compendiaria hac quasi via usi, recordemini quaesumus libri iam dudum delati:

in vicum vendentem thus et odores
Et piper et quicquid chartis amicitur ineptis

cuius infelix memoria Lessingii censura servata est. Ipsi facile coniectura assequemini, Langii interpretationem Horatii a nobis significari negabitisque fortasse ex singulari auctoris stupore iudicari posse de universa aequalium eruditione. Atqui idem suos nactus erat laudatores auctorque ipse acerrime se defendere conabatur. Nonne sic nobiscum existimabitis, hodie fieri vix posse, ut liber eiusmodi prelo subiiciatur, non modo ut laudibus circumferatur tanta vitiorum foeditas, quae nunc ne in iis quidem ferri solet qui maturitatis quod aiunt examen subituri sunt? Nec est cur hoc miremur propter ingentia quae litterae antiquae hoc saeculo capiebant incrementa. Posteaquam enim ab Wolfio et Hermanno interpretandi et grammaticae leges ita sunt constitutae, ut qui ab iis nimium recedere audeat, verendum sit ut corrupisse artem non emendasse audiat, ipsa autem veterum instituta moresque, Boeckhio et Niebuhrio auctoribus et inventoribus, diligentius illustrari et clariore in luce collocari coepta sunt: novissime accessit accuratior codicum et fontium scripturae investigatio, qua veterum maxime Latinorum opera multifariam iam antiquissimis temporibus adeo corrupta esse apparet, melius ut iuventutis commodis prospiciamus, si in enarratione Horatii aut Virgilii, quos schola sibi totos vindicare solet, ea in quibus offendimus in antiquissima textus recensione inveniri affirmamus, num ab ipso poeta profecta sint, in medio relinquimus. Nulla enim capitalior pestis inveniri potest quam si, quae aride dicta sunt abundanter, quae ieiuna illuminata, quae exilia ornata haberi volumus, vel quae tumida et inflata simplicia et sana esse contendimus, quae implicata et perplexa iactamus perspicua et dilucida, obscura et contorta contortiore etiam explicatione magis obscuramus. Quemadmodum enim ii, qui artis militaris doctores haberi volunt, suadere solent, ne loca tutemur in quibus facile ab hoste circumveniamur, ita in litteris tradendis videndum nobis est, ne vitiorum dissimulatione ipsam artem suspectam reddamus. Vitae vero non scholae discendum esse et olim sapienter iudicatum est nec nunc dubitatur. Idemque sensit divus Fridericus II.,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cuius statuam in urbe Vestra poni voluit maiorum Vestrorum pietas, factoque probavit Garvium aliosque cohortando ut opera veterum elegantius interpretarentur et explanarent, Klotziumque Halas evocando. Quod quidem secus cecidit quam putaverat nepotisque demum auspiciis perfectum est, quod avus inchoaverat.

Litteris vero in iis quae in scholis tradi solent (ut redeat tandem oratio, unde deflexit) quanta cum laude *Vos* ipsi elaboraveritis, vix est quod pluribus commemoremus. Testis est ipsa patria provincia nostra, cuius primae origines antequam Germanorum natio invaserit eam, sagacissime a *Vobis* indagatae et quantum eius fieri potuit luculentissime expositae et perscriptae sunt; vindicat sibi *Vos* ipsa theologia et philosophia propter varias gravissimis de locis institutas quaestiones; debet *Vobis* mathesis monstratam doctrinae suae subtilius explicandae viam; fruuntur denique *Vestra* opera scriptores et Graeci et Latini a *Vobis* enarrati et castigati nec Grammatica habet cur relictam et incultam a *Vobis* se iacere queratur, quippe cuius complures partes uberius *Vos* persequuti sitis. Quapropter, quum avitae et patritae qua Gymnasium *Vestrum* florebat laudis et gloriae tam strenui et acres vindices exstiteritis, eam ut hereditatis iure quodam acceptam tueri non satis habueritis, sed adeo insigniter auxeritis, ut qui *Vobis* aliquando successuri sunt, dubitari nequeat quin magnum sibi *Vestras* virtutes aemulando onus esse impositum sensuri sint: quid ad praeteriti temporis recordationem honorificentius et iucundius vel ad spes futurarum rerum capiendas laetius et optabilius evenire potuisse censebimus quam huius instantis diei celebrationem? Itaque gratulamur nos quoque, communi *Vobiscum* patriae redditi, huius festi sollemnia, quorum laetitia augeatur oportet variis commodis, quibus plerique caremus, qui muneris similitudine *Vobiscum* coniungimur. Adiuvet enim et recreet et laborum *Vestrorum* molestiam minuat necesse est perpetua summorum provinciae praesidum et rei scholasticae curatorum praesentia; delectat superba aedium magnificentia inusitata hodie liberalitate *Vestrum* in usum exstructarum; nec ipsius urbis opportunitas commemoranda non est, copiis affluentis et divitiis, quae perennis amnis et aequabilis et in mare late influentis posita in ripa complectitur utilitates maritimas vitatque vitia, ab altera autem parte mox vaporis vi cum ipso mediterraneo mari coniungetur; habitata insuper a feroci et audaci gente ipsas balaenas remotissimis in oris lacessente et abs qua olim memorabitur Mars terras pacis solum studiosas aspernatus maria petisse, gentis sibi dilectae gloriam aucturus. Quae bona *Deum* O. M. precamur ut *Vobis* conservet bonisque novis cumulet, quibus *Vos* ipsi, quamdiu patiuntur vitae humanae rationes, laeti fruamini!

Dab. Gryphisvaldiae ipso festo Pentecostes MDCCCXLIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cuius statuam in urbe Vestra poni voluit maiorum Vestrorum pietas, factoque probavit Garvium aliosque cohortando ut opera veterum elegantius interpretarentur et explanarent, Klotziumque Halas evocando. Quod quidem secus cecidit quam putaverat nepotisque demum auspiciis perfectum est, quod avus inchoaverat.

Litteris vero in iis quae in scholis tradi solent (ut redeat tandem oratio, unde deflexit) quanta cum laude *Vos* ipsi elaboraveritis, vix est quod pluribus commemoremus. Testis est ipsa patria provincia nostra, cuius primae origines antequam Germanorum natio invaserit eam, sagacissime a *Vobis* indagatae et quantum eius fieri[illegible] et perscriptae sunt; vindicat sibi *Vos* ipsa thec[illegible]ias gravissimis de locis institutas quaestiones; d[illegible]octrinae suae subtilius explicandae viam; fruuntu[illegible]es et Graeci et Latini a *Vobis* enarrati et ca[illegible] relictam et incultam a *Vobis* se iacere queratt[illegible]tes uberius *Vos* persequuti sitis. Quapropter, [illegible]nasium *Vestrum* florebat laudis et gloriae tam s[illegible]tis, eam ut hereditatis iure quodam acceptam [illegible] adeo insigniter auxeritis, ut qui *Vobis* aliquan[illegible]at quin magnum sibi *Vestras* virtutes aemulan[illegible] sint: quid ad praeteriti temporis recordationem [illegible]d spes futurarum rerum capiendas laetius et opt[illegible]s quam huius instantis diei celebrationem? [illegible]ommuni *Vobiscum* patriae redditi, huius festi so[illegible] oportet variis commodis, quibus plerique caren[illegible]*iscum* coniungimur. Adiuvet enim et recreet et [illegible]nuat necesse est perpetua summorum provincia[illegible]atorum praesentia; delectat superba aedium magni[illegible]e *Vestrum* in usum exstructarum; nec ipsius urb[illegible]on est, copiis affluentis et divitiis, quae perennis [illegible]late influentis posita in ripa complectitur utilit[illegible]altera autem parte mox vaporis vi cum ipso medi[illegible]ata insuper a feroci et audaci gente ipsas balaena[illegible]e et abs qua olim memorabitur Mars terras p[illegible]maria petisse, gentis sibi dilectae gloriam auctu[illegible]recamur ut *Vobis* conservet bonisque novis cum[illegible] patiuntur vitae humanae rationes, laeti fruamini!

Dab. [illegible]tecostes MDCCCXLIV.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf